tus ſuo quaſi totidem Signorum Circulo elapſo ſuum debuit ſubire Zodiacum. Tranſijt mox tanti patrocinij patrimonium in CLEMENTEM VII. *qui non minoribus nos priuilegijs, ac beneficijs proſecutus, ſicut ſe* FRANCISCI *Familiæ Septimum, ſed clementiſſimū Saturnum oſtendit; ſic Mediceam Domum ferreo in ſæculo Patriæ inter Lilia, & floream & auream reddidit. Vt eadem per veſtigia* VNDECIMVS *curreret* LEO, *nō niſi in* FRANCISCI *Peruigilio ſupremus enunciatus eſt Paſtor, dicturus etiam Minimis ſeriùs:* Nolite timere Puſillus Grex; *niſi nimis immaturo, ac celeri occaſu ad ſidera properaſſet. Sic qui Triplici olim diademate caput ſibi viderat cælitus coronari, plura in domum tranſtulit* Tuā, *ac* Serui Seruorum *Thiara multiplici Pontifices Tuos vel tunc voluit Humillimus redimire, ac pluries totidem coronas quot ad cunas, ad Chriſti pedes abijcere. His proinde quaſi mutuæ viciſſitudinis vadimonijs, atque obſidibus factum eſt, vt Hiſtoricorum calamo, & calculo decretus, ac dictus ſit* FRANCISCVS MEDICEORVM PATRONVS *quem Tu Titulum nec aſpernaris vt hæreditarium, nec vt caſtrenſem deſines demereri. At quo præcipuè deuoti obſequij ſtipendio, atque emeriti ſuffragij penè dixerim commeatu? an non illo, quem idem prodigus Pater, ac Prodigioſus Rector inſtituit; Tredecim nimirum per Hebdomadas inter preces, & hoſtias ſtadium, an palæſtram? quaſi xij. Signorum numero peragrato vltimum ipſe dux, reduxque Solis inſtar expleret; tanto vbique Igneæ Charitatis ſuæ incremento, ac veluti incendio exuberans, vt ſimul (quem Damianus reſpuebat) fæderaret Amorem Eclipticū, & copioſum. Faxit ille ſua nunquam declinans, ac deficiens ab Ecliptica; & quoniam Solis, & Hominis concors, & conſors,*

Ho-